
Andr. Lauridsen

Theses de sacro veteris ecclesiæ ministerio


1589

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1048 4° copy 2




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1048 4° copy 2

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1048 4° copy 2



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1048 4° copy 2



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1048 4° copy 2



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1048 4° copy 2

4. N. No. 1048.

2-281

4°

LN 1048
ex. 2

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Kay Hølgs eks.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1048 4° copy 2

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1048 4° copy 2

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1048 4° copy 2

THESES
DE SACRO VETERIS EC-CLESIÆ MINI-STERIO.

Quæ 30. Aprilis, hora VIII. in auditorio Theologico, DEO iuuante, diſputabuntur.

Præſide

ANDREA LAVRENTIO Theo-logiæ Profeſſore:

Reſpondente

CVNRADO ASLACHO Bergenſi.

HAFNIÆ

Excudebat MATTHIAS VINITOR.

Anno

D. M. LXXXIX.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1048 4° copy 2

Paulus Epheſ. 4.

CHRISTVS cum aſcendiſſet in ſublime, dedit ipſe alios quidem Apoſtolos : Alios verò Prophetas : alios autem Euangeliſtas ; alios autem Paſtores & Doctores.

Ad Corinth. 1. cap. 15.

Labor veſter non erit inanis in Domino.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Kay Høegs Samling 1970.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1048 4° copy 2

Theſes de hierurgia veteris Eccleſiæ.

I. *De ſacro veteris Eccleſiæ miniſterio, deq; eius adminiſtris propoſitum eſt nobis diſputationem inſtituere: Deus conatui noſtro adſit, efficiatq; vt omnia nomini ipſius ſanctificando, & ſcholaſticæ iuuentutis commodo cedant.*

2. *Miniſterium illud aſſerimus, eſſe munus diuinitus inſtitutum: quo hominum ad id delectorum operâ, DEI voluntas, de ſeruando genere humano, patefiat.*

3. *DEVM autem huius muneris atq; officij autorem eſſe, conſtat ex colloquio illo, quod Filius Dei, cum Adamo protoplaſto habuit, alijſq; ſcripturæ axiomatis.*

Errant itaq;, qui contempto hoc colligendæ Eccleſiæ ordinario medio, vt Enthuſiaſtæ afflatus, neſcio quos, expectandos cenſent.

4. *Partes tres præcipuas eſſe cenſemus: nempe doctrinam, ſignum & Preces: de quibus ſigillatim & breuiter dicemus.*

5. *Doctrina eſt illud, de quo ſaluandi, voluntatem DEI ſimpliciter edocendi erunt: eaq; ex verbo DEI, quod omnia, quæ ſaluandis ſcitu neceſſaria ſunt, continet, petenda.*

Malè igitur ſentiunt & docent: qui verbo illo minimè contenti, humanas traditiones Eccleſiæ Chriſti obtrudunt, ijſq; plus quàm æquum eſt, attribuunt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1048 4° copy 2

6. *Huius doctrinæ capita duo ſunt præcipua, Lex nimirum & Gratiæ promiſſio: quæ aliâs dulciſſima appellatione Euangelium nominatur.*

7. *Lex eſt iudicium DEI aduerſus peccatum & norma eorum, quæ homini vel facienda vel omittenda ſunt: Quod cùm à nullo homine, abſq; Dei gratia plenè queat præſtari, deducit illa nos ad Chriſtum legis finem, Rom. 10.*

8. *Huc ſpectat quoq; diſciplina & cenſura, abſq; qua hominum petulantia & improbitas coërceri nequeat: eſtq; in ipſis legis ſanctionibus comprehenſa, atq; poſita in obiurgationibus, minis & pœnis Eccleſiaſticis, cuiuſmodi ſunt auerſatio, deuotio, & anathema.*

9. *Auerſatio erat, cùm aliquis ob pollutionem corporis, cuius variæ ſpecies in Lege fuere, ab hominum congreſſu & conuictu, ad certum tempus arceretur, vt Mariæ ſoror Moſis Numer. 12.*

10. *Deuotio ſeu ſimplex Excommunicatio, cùm aliquis ob maius peccatum à cenſu populi Dei expungeretur: vt Cain ob fratris cædem, Geneſis cap. 4.*

11. *Anathema verò cum aliquis peccata peccatis cumulando, abſq; ſpe reſipiſcentiæ, Dei iuſtiſſimam iram in ſe atq; alios prouocaret: cuiuſmodi æternæ morti obnoxius pronunciabatur. Paulus vocat Maran Atha 2. Corinth. 16.*

12. *Legis noticia initio conditi mundi, hominum animis, in quibus etiam poſt lapſum, eius reliquiæ aliquæ, ſed admodum*

deprauatæ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1048 4° copy 2

deprauatæ hærent, impreſſa: & poſtea, ad montem Sinai, terribili voce Dei repetita & literis iuſſu ipſius mandata. Exod. 20.

13. Promiſsio verò gratiæ, eſt voluntatis Dei, de hominibus credentibus, per gratuitum fœdus, in vno Chriſto ante Legem Moſi traditam, & ſub ipſius pædagogia adumbrato, tandemq́ in temporum plenitudine exhibito, reuelatio.

14. Hæc quoq́ initio mundi, Adamo generis humani primo parenti à Filio DEI patefacta, & poſtea Setho, Abrahæ, Iſaaco, Iacobo eius filio, Iudæ (cuius tribus gente atq́ religione à reliquis diſtincta & impermixta, vſq́ ad CHRISTI exhibitionem permaneret Gen. 49.) & Dauidi eiuſq́ poſteris, accedente maiore luce, tradita & commendata fuit.

15. Vtriuſq́ doctrinæ idem vſus in populo Dei fuit ſemper, eſt, atq́ erit, quantumuis id Diabolus & ipſius organa impedire conentur, vſq́ ad mundi finem & diem reſtitutionis omnium.

16. Illâ morbus hominum, hac verò efficax aduerſus morbum remedium oſtenditur: illa ſummum ius vrget, atq́ morbum, id eſt peccatum, auget: hac ſummi iuris moderatio, vno Chriſto, cuius merito & obedientia ſaluemur, indicato, proponitur.

Inſaniunt ergo Anomæi, qui negant legis decalogum, in Eccleſia retinendum, atq́ Chriſtiano populo inculcandum,

Perperam etiam ſentiunt, qui fingunt alios quidem lege naturæ, nonnullos lege Moſis, quoſdam verò lege Euangelij ſaluatos.

Hæc de doctrina ſimplice: nunc de ſigno.

II.

17. DEVS, quæ eſt ipſius ſapientia & bonitas, doctrinæ, de qua huc vſq;, ſigna quædam & ſymbola, quorum idem vſus, qui doctrinæ eſt, addidit & in Eccleſia ſua retineri vult.

18. Etſi autem ſcriptura non vnius generis ſignorum meminit: nos tamen de ijs potiſsimum, quæ appellationibus iam diu in Eccleſia vſurpatis, Sacrificia & Sacramenta vocantur, hoc loco agemus.

19. Sacrificium eſt res ſacra, ab eo, à quo affertur parata, Deo, qui eam poſtulat ſibi dari offerri, à ſacerdote, ex ipſius præſcripto, oblata, Geneſ. 4. Eſtq; illud vel hilaſticon vel eucbariſticon.

20. Hilaſticon, quod peccatorum expiationem, quæ à Chriſto fieret, figurabat & obſignabat: ac quia totum igni crematum Iehouæ in odorem quietis, Geneſ. 8. offerebatur, holocauſtum eſt vocatum.

21. Duo ſignificauit: Primò Chriſtum ipſum holocauſtum, in odorem ſuauem pro nobis fore. Heb. 10: Deinde

homines

homines non poſſe Deo placere, niſi corpus & animam Deo, per Chriſtum, conſecrent.

22. *Euchariſticum, quo gratitudo erga Deum pro acceptis beneficijs teſtata declararetur: ac ſignificauit à pijs in omni vita, Deo ſpiritualia ſacrificia, id eſt precationem & in alios beneficentiam eſſe Deo grata & debita Hoſ. 14.*

23. *Sacramentum verò eſt ritus diuinitus inſtitutus, quo Deus teſtatur credentes à ſe recipi eiſq́; promiſſionem gratiæ applicari, ac fidei iuſticiã, ceu ſigillo, obſignari et confirmari.*

24. *Priſcæ Eccleſiæ Sacramenta alia fuere temporaria, vt Iſraëlitarum per mare rubrum tranſitus: commoratio ſub nube: aqua manans è petra: alia verò in illa Eccleſia fixa & permanentia vſq́; ad Chriſti ſacrificium peractum, vt circumciſio & Phaſe.*

25. *Porrò vtraq́;, Sacrificia nimirum & Sacramenta, typicam quandam rationem habuiſſe, notius eſt ex Chriſti & Apoſtolorum concionibus, quàm vt probatione indigeat.*

26. *Typi verò in hoc argumento ſunt illud, in quo tanquam exemplari impreſſa forma, antitypon ſeu rei veritas, per analogian repræſentatur: quod fortè obſcurius dictum, exemplis fiet illuſtrius.*

27. *Noæ miranda conſeruatio in arca, typus erat ſalutis omnium, qui Chriſti merito æternæ vitæ hæredes ſcripti ſunt: Antitypon verò fidelium omnium Baptiſmus 1. Petri 3.*

28. Cæſura

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1048 4° copy 2

28. Cæſura & præputij circumciſio erat typus ſpiritualis circumciſionis cordium, quæ abſq; manibus fit. Deut. 10. Rom. 2. Antitypon idem Baptiſmus.

29. Cæterum cum ſimplicis & Symbolicæ docendæ rationis collatio, ſcitu in primis ſit digna: de illa quoq; aliquid dicemus.

30. Vt verbum ſeu docendi ratio ſimplex: Ita quoq; ſymbolica totius hominis inſtaurationi ſeruit, & vtriq; idem finis à DEO deſtinatus.

31. Verbo enim Chriſti beneficia omnibus offeruntur: fide applicantur ſaluandis, Sacramentorumq; verò vſu obſignantur.

32. Verbum externum aures ferit, internum Spiritus ſancti operatione cor afficit: Sacramenta ſenſus afficiunt: Res verò Sacramenti fide apprehenſa, conſcientias emundat à peccatis, & animæ eſcam conuenientem, qua æternùm viuat, affert.

III.

33. Cæterùm cùm maximæ partis hominum ea ſit malitia & improbitas vt externum miniſterium inefficax ſit, niſi DEVS animis & cordibus hominum inſtillet veram pietatem, eaq; ad obſequium ſibi gratum præſtandum, flectat, ardentes preces concipiendæ ſunt: vt iuſta copulatio externi & interni miniſterij fiat.

34. Leguntur

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1048 4° copy 2

34. *Leguntur itaq; in ſacra hiſtoria preces pro ſalute cœtus ad DEVM fuſæ, vt Exod. 17. & Num. 6. Leguntur etiam gratiarum actiones pro beneficijs Eccleſiæ à DEO præſtitis.*

35. *Ac vt oſtenderent precaturi, ſe ad verum Deum preces ſuas dirigere: vſi epithetis quibuſdam, in precum compellationibus, quibus Iehouam à falſis & commentitijs numinibus omnibus ſeiungerent, fuere.*

36. *Huius generis ſunt: Deus altiſsimus: Poſſeſſor Cœli & Terræ: Deus Abrahamo, Iſaaco, Iacobo patefactus: Iſraëlitarum ex terra Ægypti eductor, &c,*

37. *Nitebantur illorum preces filij Dei, qui aliquando maſſam humanæ naturæ eſſet aſſumpturus, fiducia, eaq; ſe voti compotes fore, ſtatuebant.*

38. *In maximarum itaq; rerum, & ſapientiæ veræ ignoratione verſantur, qui negant in patribus priſcæ Eccleſiæ aliam filij Dei noticiam fuiſſe, quàm in Socrate, Scipione & alijs Ethnicis, quorum exterior vita honeſta erat & iudicio rationis conſentanea.*

Huc vſq; de miniſterio & eius partibus: nunc verò de miniſtris, quemadmodum promiſimus, pauca dicenda.

MINISTRI.

39. *Primus Doctor Eccleſiæ erat filius æterni Patris Sermo ille: qui Adamum ob mandati & interdicti violationem,*

nem, grauiter obiurgatum, docendo & moderando cœtui, conſtituto etiam die, quo id faceret, præfecit: cui Seth & alij ipſius poſteri vſq; ad diluuium idem munus continuarunt.

40. *Noah, vt ante diluuium, ita poſtea quoq; Eccleſiæ Miniſter fuit: Sem & alij ordine ſibi ſuccedentes, vſq; ad Abraham: quorum pleroſq; primogenitos (niſi à familijs ſeiuncti illi eſſent, qui diuinitus inſtructi ſacra adminiſtrabant) exiſtimant multi.*

41. *Abraham, Iſaacum, Iacobum, idem munus vſq; ad Moſen ferè, prophetici chori ducem, obiuiſſe, certum eſt.*

42. *Conſtituta demum certa politiæ forma, dignitas illa à primogenitis: forte ob Rubenis ſcelus, qui patris thorum inceſtu polluit, deriuata in Leuiticæ gentis homines, Sacerdotes & Leuitas dico, fuit: quorum ordinaria ſucceßio, plerunq; vſq; ad Chriſtum, in carne manifeſtatum, manſit.*

43. *Prophetarum quoq;, cum Sacerdotes negligenter ſuo munere defungerentur, miniſterium extra ordinarium inſtituit Deus, quibus Sacerdotes & Reges ipſos parêre neceſſe fuit.*

44. *Eorum officium fuit, præter alia quædam, toti corpori illi Legem interpretari: inobedientes denuntiatione horrendorum iudiciorum Dei terrere, & pios dulcißimis promißionibus Euangelij conſolari & confirmare.*

45. *Loca*

45. *Loca (vt de ijs quoq; aliquid á nobis dicatur) cultui diuino exercendo, etiam ante Moſen deſtinata, eaq; vel generalia vel ſpecialia fuiſſe, extra controuerſiam eſt.*

46. *Generalis locus erat, vbi DEVS præſentiæ ſuæ aliquo Symbolo, ſe coli velle oſtenderat: atq; ideo facies Iehouæ appellatur Geneſ. 4. Domus DEI & porta Cœli. Geneſ. 28.*

47. *Specialis vero, vt altare, in quo ſacrificia oblata ſanctificarentur & DEO grata fierent vt Gen. 8. & 12.*

48. *Sub Moſe verò & poſt eum ordinarius locus ſacrificandi fuit primò Tabernaculum, deinde Templum Salomonis, & alterum extructum à reducibus Iudeis ex deportatione Babylonica: Extra ordinarius, vbi ſacrificatum fuit aliquando: vt ab Elia in monte Carmelo: 1. Reg. 18.*

49. *Huiuſmodi locorum diſcrimen (vt & ceremoniæ legales, quod etiam fore prædixerat Daniel 9.) Sublatum eſt Chriſti aduentu. Iohan. 4.*

Perperam igitur & inſcienter contenderant Nazarei, & alij: cum profeſſione Euangelij retinendas legis quoq; ceremonias, Circùmciſionem & alias, quod dogma Paulus vocat euerſionem Euangelij. Gal. 1.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1048 4° copy 2

Atq́ hæc hactenus de ſacro miniſterio priſcæ Eccleſiæ, & eius adminiſtris: Quod cùm DEVS benignè conſeruârit in aliqua parte veteris populi, eum quoq́ in Chriſtiana Eccleſia, vſq́ ad mundi finem Euangelicum miniſterium conſeruaturum non dubitamus: Atq́ vt id faciat ipſum ardentibus votis in nomine Filij ipſius precamur.

⁂

Carmen D. PHILIPPI MELANTHONIS de liturgia Moſaica.

Ἱερεὺς τὴν διδαχὴν εὐαγγελίου φυλάσσων.
Ἱλάσκει θυσίῃ. ζωίστε ἄρασι θεόν.

⁂

eſiæ,
nſero
ciana
um

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1048 4° copy 2

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1048 4° copy 2

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1048 4° copy 2